

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Hymni Sacri In Usum Scholæ Oldenburgensis. Ad Studium
Pietatis**

Goetjen, Johann Konrad

Oldenburgi, [1730?]

VD18 90652878

XII. Pro optima tempestate.

urn:nbn:de:gbv:45:1-19291

Repelle damna cladis !

Hostis sua potentia

Vult quique destruantur,

Qui Filium laudant tuum,

Fatentur, osculantur.

2. Da Christe Pacem quæsumus,

Tutor gregis vocati !

Concernit hoc tuum decus,

Cultusque rem sacrati.

Hæc omnia, vi maxima

Vult hostis impedire :

Manu tua IESU juva,

Hostes jubens perire !

3. Da sancte, pacem, spiritus,

Mœrentium levamen :

Opem tuam fer ocius,

Ne dissipet gravamen :

Preces move, fidem fove,

Firmaque pœnitentes !

Hostes preme: Nos protege,

Ovent, ut usque mentes !

XII.

Pro optima tempestate.

Mel. HER IESU Christ mahr Mensch und Gott.

Solis jubar, Deus bonis,

B7

Qui

Qui sponte das , & improbis,
Mundi quod illustrat domum :

Et rore conspergis solum.

Imbres refundis montibus,
Illos & ornas frondibus :
Terræ metalla das proba :
Pax floret atque lex bona.

Panem , merumque porrigis,
Quibus cor imples gaudiis :
Delicta nostra contegis :
Verbo tuo nos erigis.

Tuam preciamur gratiam ,
Verbi fove concordiam :
Sit terra nostra fertilis,
Et hornus annus dapsilis !

Fave serenitatibus :
Resiste tempestatibus !
Nix , ventus , imber ,
Sol tuo parent ubique verbulo.

Damnum locustæ dant satis ,
Campæque poena sunt agris :
Infesta pelle noxia ,
Sit salva frugum copia !

Vermes sumus miselluli ,
Hærediique grex tui :
Speramus hinc tuam manum ,

Quam

Quam dogma commendat sacrum,

Pro serenitate.

Solis jubar da prodeat ,
Fructumque terra proferat :
Animans ut omne victitet,
Ae te datorem prædicet !

Pro pluvia.

Audi preces per Filium ,
Imbremque da gratissimum !
Annum corona , propriis
Dita solum vestigiis !

Dux in Sione diceris,
Cunctis benignus nosceris :
Audis preces & adjuvas :
Laudes fac ornemus tuas !

XII.

De poenitentia.

Mel. Vater Unser im Himmelreich.

VIvo ! tuus jurat Deus,
Nolo labascat impius :
Sed hæc voluntas est mea ,
Ut cuncta vitet crimina ,
Exstinguat & malis sitim ,
Mecumque vivat perpetim !
Hujus memor vocis mane ,

Ac